



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

X. An in Prælatibus religionis sit potestas coercitiva ad poenas corporales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

CAPVT X.

An in Praelatis religionis sit potestas coercitiua ad penas corporales.

I. Circa corporales penas potest in specie tractari, ad quas se extendat hæc potestas Praelatorum religionis. In quo certum est non extendi hanc potestatem ad penam mortis, quæ à nullo iudice Ecclesiastico imponi potest, cap. cum non ab homine, de iudicijs. Quia vero Ecclesiastici iudices interdum possunt sententiam ferre de delicto, & reum postea remittere brachio seculari, dubitari potest, an potestas horum Praelatorum ad hoc se extendat. Dicendum enim videtur, ex vi solius professionis religiose hoc non repugnare, quia possunt Praelati regulares religiosum incorrigibilem propter enormia crimina habitu, & omnibus priuilegijs religionis priuare: ergo consequenter possunt si delicta id mereantur, talem personam tradere brachio seculari. Dixi autem, *quantum est ex parte professionis*, quia, si religiosus sit ordinatus clericus, non potest religiosus Praelatus illum degradare, nec priuare priuilegio clericali, & illum tradere brachio seculari: quantumvis illum priuet statu, seu habitu religionis. Addo etiam, si ex parte ipsius Praelati consideretur quod est clericus, quodque iurisdictionem Ecclesiasticam administrat, non posse ita religiosum priuare immunitate, vt illum tradat brachio seculari, nisi hoc ei speciali priuilegio concessum sit. Ratio est, quia nisi hæc remissio fiat auctoritate, seu priuilegio Pontificis, vix potest ab irregularitate excusari, vt latius in propria materia tractauimus disp. 47. sect. 1. Secundo, quia hæc immunitas conceditur religioso non tantum vt clericus est, sed etiam vt est religiosus, in fauorem, non priuatæ personæ, sed religionis; & ideo non potest Praelatus priuare religionem hoc fauore propter peccatum priuatæ personæ, nisi hoc ei specialiter concedatur: sicut non potest priuata persona renunciare priuilegio in fauorem communitatis concessio, cui per talem renunciationem præiudicium fiat. Et ob hanc causam existimo Praelatos religionum nunquam habere hanc potestatem, quia nunquam est eis specialiter concessa, neque expedit, vt ea videntur propter decentiam, & honorem religionis.

Potest tamen ex vi professionis religiosus tradere brachio seculari.

Abundetamen id reuera non potest.

Cum non possit.

II. Obijci autem potest communis vsus, & praxis secularium iudicum condemnantium ad mortem huiusmodi religiosos delinquentes, & eiectiones: quam vbiq; seruari testatur Cassianus in consuetudinibus Burgundie, fol. 51. num. 66. Sed circa hoc aduertendum est, dupliciter intelligi posse religiosum tradi brachio seculari, vt de crimine, morte digno, iudicetur, scilicet, permissiue tantum, ac remote, auferendo impedimentum religiosi habitus, & immunitatis. Secundo, immediate, & (vt sic dicam) positue, illum tradendo in manibus iudicis secularis postquam de crimine conuictus, & iudicatus est. Nos loquimur de hoc posteriori modo, & sic negamus esse talem consuetudinem. Imo etiam ab alijs iudicibus, quando non temere, sed ordinate procedunt, vix aliquando id fit, nisi in casu hæresis; in quo casu etiam cum religioso id faciendum est, non tamen à Praelato religionis, sed ab Inquisitoribus, quibus iudicium de illo crimine reseruatum est, vt in specie, agens de iurisdictione religiosorum, tractat Nauarrus, Consil. 1. de Hæreticis. Alij vero casus, in quibus possunt Praelati Ecclesiastici hoc modo tradere clericum degradatum iudici seculari, rari sunt, vt tractauimus tom. 5. ad 3. partem, Disput. 6. de suspens. sect. 11. Et in eis existimo, non debere, nec posse religiosum Praelatum hoc modo

tradere subditum, quantumvis incorrigibilem, tradere brachio seculari, propter ea, quæ diximus. Consuetudo ergo illa, si quæ est, videtur intelligenda priori modo, in quo etiam alia distinctio obseruanda est: nam religiosus semel eiectionis, dupliciter potest morte plecti à iudice seculari. Primo, propter delicta commissa post eiectionem à religione, digna tali pena: & hoc modo facile potest admitti, si fuerit consuetudo, quando religiosus eiectionis alijs clericis non est: quia in eo statu iudex ordinarius eius non est Praelatus religionis, nec videtur reputari tanquam persona Ecclesiastica, supposita dicta consuetudine. Quod ideo aduerto, quia religiosus, quantumcunque eiectionis, verus religiosus manet, vt infra lib. 3. c. 5. ostendam, & sub obedientia Episcopi esse debet tanquam Ecclesiastica persona: & ideo videtur frui priuilegio fori, nisi per contrariam consuetudinem amissum sit. Quæ consuetudo maxime tolerari posset, quando talis religiosus eiectionis nec regularem, aut clericalem habitum portaret, nec obedientiam Episcopo seruaret. Secundo modo posset puniri religiosus eiectionis propter crimina in religione commissa: & hoc modo nec admittendum, nec probandum censeo talem consuetudinem, nimirum, quod à iudice seculari possit ad mortem damnari propter talia crimina, tum quia illa committit in alieno foro, & quali in diuerso territorio: tum etiam, quia supponitur iam iudicatus, & punitus, nam per sententiam definitiuam eiectionis est à religione propter talia crimina.

Præterea non extenditur hæc potestas ad mutilationem membri, nam hæc eiusdem rationis est, cum pena mortis, quod attinet ad irregularitatem, & repugnantiam cum Ecclesiastica mansuetudine. Item excludenda videtur pena publica corporalis, quæ ordinarie non est in vsu in Ecclesiastico foro propter decentiam religiosi, & clericali status; qualis est publica flagellatio per plateas, & vias ciuitatis. Nam licet absolute non extendat Ecclesiasticam iurisdictionem huiusmodi pena citra sanguinis effusionem; tamen regulariter non est in vsu Ecclesiæ respectu personæ Ecclesiasticæ; neque talis pena per canones aliquando designatur: & ideo non est extendenda potestas Praelati regularis, vt arbitrio suo possit illam imponere. Potest nihilominus religio punire subditum per triremis, vt late Nauar. Comment. 3. de Regularibus. nu. 53. vbi id maxime probat ex consuetudine plurium regularium, & quia illa pena non inducit diffusionem sanguinis per se, neque aliquo speciali iure est prohibita, & ideo potuit consuetudine induci, nam iurisdicção potest consuetudine acquiri, cap. cum contingat. de foro compet. vbi glossa alia refert. Sicut etiam quoad alia multa horum Praelatorum iurisdicção consuetudine aucta est.

Potest autem obijci ex eodem Nauarro, quia huiusmodi pena videtur nimis acerba; & excedens fraternitatem, & mansuetudinem religiosam, & (quod grauius est) nimis periculosa salutis animarum eorum, qui sic puniuntur, propter prauam societatem, & mores perditos, & infinitas peccandi occasiones illius status. Cum ergo Praelati religiosi maxime debeant subditorum salutem saluare, quantumvis mali sint, alienum ab eorum solere, & munere videtur hanc penam imponere. Vnde non legimus antiquos Patres, Basilium, Augustinum, Benedictum, &c. tali pena viros sanctos: imo (quod magis vrget) neque Episcopi solent se: imo (quod magis vrget) neque Episcopi solent seculares clericos hac pena afficere, sed solus summus Pontifex videtur posse id facere. Ratio etiam adhiberi potest, quia nulla pena repugnans priuilegio canonis si quis suadente, potest imponi à iudice Ecclesiastico inferiori Summo Pontifici, nisi iuxta formam

matur, quia non potest Praelatus imponere præceptum subdito pro eo tempore, pro quo vel ipse non est futurus Praelatus, vel alter non est futurus subditus: tum quia præceptum expirat morte mandantis, nisi sit lex: tum etiam, quia extra territorium ius dicenti non est parendum, cap. 2. de constitut. in 6. Confirmatur tandem, quia ob similes rationes (præter alias) si Praelatus ei, quem eiecit, præcipiat ingredi aliam religionem, non tenetur ei parere, vt dixit Nauarr. confil. 77. de Regularib. & infra etiam li. 3. c. 5. n. 20. dicemus. Vnde etiam obiter colligo, religiosum eiectum, cui Praelatus concedit facultatem ingrediendi aliam religionem, dummodo non sit in tali Regno, vel Prouincia, non obligari ex vi præcepti ad hanc conditionem seruandam: quia illa respicit tempus, in quo iam non est futurus subditus, & virtute continet quoddam exilium. Dico autem, ex vi præcepti, nam ex vi pacti posset obligari, vt si ad vitandum aliud genus poenæ iustæ, sub ea conditione, & pacto acceptasset eiectionem, tunc enim, si conditio fuerit iusta, & libere acceptata, obligat non per modum præcepti humani, sed ex naturali lege fidelitatis, vel iustitiæ; neque erit sufficiens excusatio, quod metu grauioris poenæ fuerit acceptata: quia ille metus non fuit iniuste incussus; sicut quando damnato ad mortem remittitur poena, ea lege, vt obligetur ad ducendam in uxorem talem mulierem, vel ad tale munus publicum exercendum, iusta est conditio, & obligans postea in conscientia.

X. Præter has poenas potest etiam Praelatus religionis præcipere subdito grauiiores aliquas poenitentias, vel labores, aut opera, vel aspera, & dura, vel humilia, & abiecta pro qualitate delicti. Hæc sumitur ex Syluestro, verb. Religio. 6. quæst. 6. & Angelo verb. Religiosus. num. 29. & constat ex dictis supra de voto obedientiæ. Vnde in hoc consideranda est differentia inter has poenas, & alias grauiiores corporales; quod ad alias solum obligatur homo, vt eas patiat, non resistendo violenter; ad eas autem potest obligari religiosus etiam actiue (vt sic dicam) eas in se exequendo, quia hæc obligatio non excedit humanam iurisdictionem; nec est res nimis ardua, aut difficilis, de quo latius in materia de Legibus lib. 5. a cap. 5. Hic vero occurrebat specialis difficultas de religioso damnato ad perpetuum carcerem, an teneatur non fugere, etiam si possit. Item, si damnatus sit, vt fame paulatim pereat, per insensibilem quandam cibi diminutionem, & subtractionem, an teneatur non amplius comedere, etiam si possit. Veruntamen hæc quæstiones generales sunt, de quibus videri potest Coar. lib. 1. Variar. cap. 2. num. 14. Caiet. 2. 2. quæst. 69. art. 4. Soc. lib. 5. de Iustit. quæst. 6. art. 4. & specialiter de religiosis Nauar. Comment. 4. de Regularib. num. 63. Salsedo in Practica crimin. cap. 137. Qui omnes concludunt, in priori casu teneri religiosum ad non fugiendum, tum ex generali lege iustitiæ, vel obedientiæ, qua tenetur reus parere sententiæ iustæ, & illam seruare, quantum ad ea, quæ per ipsum licite exerceri possunt: tum etiam speciali titulo, quo religiosus tenetur ratione voti obedientiæ in clauistro manere, & intra terminos eius à Praelato præscriptos. Quæ sententia vera est maxime in religiosis, intelligenda tamen videtur ex vi solius detentionis, seu incarcerationis: per accidens vero propter grauisimam incommoda tali incarcerationi adiuncta, accidere potest, vt contrarium liceat, sicut iam dicemus.

XI. In altero ergo puncto resolutio communis est, non teneri reum abstinere à cibo necessario ad vitam conferuandam propter poenam impositam: imò multi dubitant, an licite possit id facere: quæst. omilla, quia pertinet ad materiam de homi-

cidio, saltem certum est, non posse obligari in conscientia ad huiusmodi abstinentiam: quia & est res nimis difficilis, & naturali inclinationi repugnans, & alioqui non est necessaria ad commune bonum: satis enim est, quod re ipsa possit iuste cibis priuari, & quod iudex possit præcepto suo ministros iustitiæ obligare ne alimenta præbeant huiusmodi malefactori, quod etiam potest prohibere Praelatus religionis tam virtute obedientiæ, quam ratione voti paupertatis. Ipsi vero religioso prohibere non potest, quin licite comedat, si possit, quia nec iustitia, nec obedientiæ paupertatis votum ad tam difficilem abstinentiam obligat. Vnde infero, religiosum sic damnatum posse licite fugere, non ad fugiendum carcerem, sed mortem. Omnes enim fatentur damnatum ad mortem licite fugere, si possit, quia priuilegium vitæ tuendæ maximum est, vt constat ex auctoribus citatis, & alijs, quos ipsi referunt. Sed qui ita damnatur ad perpetuum carcerem, vt per continuam inedia paulatim pereat, est damnatus ad mortem, nam licet non sit damnatus, vt occidatur, est tamen damnatus, vt quasi ab intrinseco moriatur, quod perinde est, quantum ad vitæ detrimentum pertinet, ergo propter illud vitandum licet fugere. Et fortasse in hoc casu loquuntur Angelus, & alij auctores, quos Coar. Nauar. & Salsedo referunt, dicentes, licere fugere damnato ad perpetuum carcerem.

CAPVT XI.

An Religiosi possint à sententiis, & præceptis superiorum appellare?

Hoc in loco tractandum occurrit, an religiosus possit appellare à sententia Praelati, per quam ad grauem poenam condemnatur. Et, vt quæstio sit specialis huius materiæ, sumenda est in eo casus, in quo licitum esset seculari clerico, vel laico à sententia legitimi iudicis appellare, vel quia reputat illam iniustam, vel nimis rigorosam, & sperat à superiore esse iuste leniendam. In priori ergo casu videtur licere etiam religioso appellare, iuxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. quæst. 68. ar. 3. quia talis appellatio nihil aliud est, quam quædam naturalis defensio, qua nemo potest iuste priuari. Confirmatur, quia si Praelatus religionis subditum aggreditur iniuste, vt illum gladio occideret, posset subditus se etiam gladio defendere propter naturale ius defensionis: ergo si illum aggreditur per sententiam iniustam, poterit se defendere saltem per appellationem iustam. Quod si hoc necessario attendendum esset in religioso, si damnari posset ad mortem, eadem ratione liceret quociescunque damneretur ad patiendam iniuriam, tantoque magis, quanto poena iniusta fuerit acerbior. Idem argumentari possumus de altero casu, quando licet poena non excedat limites iustitiæ, multum tamen rigorosa est; & infra eosdem posset mitior imponi. Cur enim non licebit reo mitiorem iudicem postulare, cum non petat iniustum: aut cur debet hoc magis religioso prohiberi, quam alijs, cum religiosum iudicium mitissimum omnium, & paternum potius quam iudiciale esse debeat? Tandem quando Praelatus inferior præcipit subdito aliquid nimis graue, & difficile, potest subditus ad superiorem Praelatum recurrere non solum pro iniustitia, sed etiam pro nimio grauiamine tollendo: ergo idem erit in penis.

In contrarium autem facere videtur c. repub. si. de appellat. ubi dicitur, Statuimus, ne subditi de quibuslibet de appellacionibus in vocem appellacionis non possint erumpant, & in fine subditur, Præcipue vero hoc in religiosis volumus obseruari, ne religiosi, si pro aliquo excessu fuerint inuocati, non possint de appellacionibus in vocem appellacionis non possint erumpant.